

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Caro siue corpus y  
cum fonte primo

Maiori corporis sarcina animus eliditur  
et minus agilis est.

Circumscribe corpus tuum et animo locum laxa;  
multa sequuntur incommoda deditos huic cure.

Bibere et sudare uita cardiaci est.

Seneca epistola XV.

Adice nunc quod  
maiore corporis sarcina animus eliditur  
et minus agilis est.  
Itaque quantum potes  
circumscribe corpus tuum et animo locum laxa.  
Multa sequuntur incommoda huic deditos curae:  
primum exercitationes,  
quarum labor spiritum exhaustit et inhabilem  
intentioni ac studiis acrioribus reddit;  
deinde copia ciborum subtilitas impeditur.  
Accedunt pessimae notae mancipia  
in magisterium recepta,  
homines inter oleum et vinum occupati,  
quibus ad votum dies actus est  
si bene desudaverunt,  
si in locum eius quod effluxit  
multum potionis altius in ieíuno  
iturae regesserunt.  
Bibere et sudare vita cardiaci est.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 5.2-4 (L. Reynolds ed., vol.1, pp.38-9,  
ll.24-26, 1-8).